D. O. M.

POSITIONES ANATOMICÆ ET CHIRURGICÆ.

EX ANATOMIA.

I.

MIRA corporis humani Compages, infinitis prope modùm morbis obnoxia, haùd dubiè corrueret, nisi Chirurgiæ præsidio, ab orci faucibus eriperetur. Jam enim videre videor ægrum urgentibus malis obrutum, propter Herniam incarceratam, irrita fuerunt medicamina, partes Chirurgicâ operatione in statum naturalem restituuntur; Refocillatur æger, illius restituitur sanitas, quid præstantius!

I I.

In perveſtigandis externis abdominis partibus, musculorum seriem, ordinem, & actionem demiramur. Partes verò internæ, involucris & ligamentis firmatæ videntur; aliæ ob usum peculiarem fluctuantes, & errantes apparent, quædam ut vasa spermatica in maribus; & ligamenta teretia in feminis, E cavitate ad partes externas feruntur.

I I I.

Ex illis partibus, eas tantùm pervolvemus quarum cognitio necessaria est ad Herniarum explorationem, & curationem. Sublatis communibus tegumentis, apparet musculus obliquus externus,

qui in parte inferiori definit in aponevrofim, criftæ, fpinæ ilei & offis pubis inhærentem : hac in parte duo maximè annotanda veniunt, nimirùm foramen vulgò annulus, & ligamentum Poupartii.

I V.

Omnia abdominis vifcera, peritoneo ob duplicaturam, feu duplicem lamellam inhærent, & in hoc facco continentur, ita ut quædam extûs, numero plures intûs appareant; proceffûs fubminiftrat lamella exterior feu cellulofa, vafis fpermaticis & cruralibus, lamella interior feu membranacea, partes in facco contentas involvit & alligat.

V.

Inter hæc vifcera, alia firmam habent fedem, alia verò fluctuant, ideòque faciliùs delabuntur.

V I.

Vulgò inteftina graciliora, feu omentum, Hernias efformant, obfervationibus tamen conftat, Relaxatis vifcerum ligamentis Hernias accidere.

EX CHIRURGIA.

I.

Quotiescumque pars quædam, in abdomine contenta erumpit, & efformat tumorem, dicitur ille tumor Hernia, feu Ramex; & verò fpecialiter differunt tumores illi, ratione partium quibus formantur, & ratione locorum per quæ partes erumpunt. Undè varia acceperunt nomina.

I I.

Præcipue oriuntur tumores in umbilico, feu circa regionem umbilicalem, & exomphalos; *In inguine, per foramen obliqui externi*, Hernia, inguinalis fivè bubonoceles; In flexu femoris, per ligamentum Poupartii, Hernia cruralis; & in Ventris peripheriá, Hernia Ventralis.

I I I.

Partes quibus fæpiffimè producitur Hernia, funt omentum, inteftina graciliora, jejunum fcilicet, & ileum. Situs & ligamenta peculiaria Duodeni, ejus procidentiæ obftant; non raro accidit Hernia cœci, & coli. Alia autem eft Hernia Recti inteftini, quæ procidentia Ani Nuncupatur. In Herniis Ventralibus & inferioribus occurit quandoque Vefica. Quia autem in longum nimis protraheretur omnium Herniarum defcriptio, de Hernia inguinali tantùm hic fumus acturi.

I V.

In incompletas & in completas dividuntur Herniæ; fi enim ad

marginem annuli ſiſtat Hernia, tunc incompleta. Si ad ſcrotum uſquè, aut completa aut Oſcheocele. Nonnulli tamen haùd immeritò, completam vocant inteſtini Herniam, in quâ totum includitur cilindrum, incompletam verò, in quâ pars tantùm canalis comprehenditur.

V.

Modò plurimæ partes, modò una tantùm ſcilicet, vel inteſtinum vel omentum &c. Reperiuntur in tumore, cùm aut ſine accidentibus. Unde Hernia ſimplex, compoſita, & complicata.

V I.

Actionem Mechanicam Muſculorum inveſtiganti, & partium ſitum exploranti, cauſarum Herniarum facilis eſt disjudicatio. Quæ enim abdominis viſcera, comprimere, laxare, aut ultramodùm augere poterunt, cauſæ internæ, & remotæ, ſpectari debent. Externæ verò omnia illis partibus vim inferentia, & quæ è loco eas dimovere poſſunt.

V I I.

Ex omnibus accidentibus *Hernias* concomitantibus, inflammatio, adhæſio, vetuſtas, ſtrangulatio, ſingultus, vomitus, gangræna deniquè, graviora & pertimeſcenda habentur.

V I I I.

Pro variis Herniarum ſpeciebus, varia dantur ſigna. Tumorem exhibet durum, & denſum. Enterocele. Si retineatur ſpiritus, augeſcit tumor, & quando refunditur inteſtinum, auditur quidam ſtrepitus. Epiploceles tumor, mollis, inæqualis, & indolens, compoſitæ Herniæ miſcentur ſigna.

I X.

Pro diverſis Herniæ inguinalis accidentibus, differentiis, Temporibus, item & ægri temperamento, ætate, & viribus, prognoſim plùs minùſve, periculoſam cenſemus.

X.

Duplex pro variis bubonoceles circumſtantiis curatio tentanda, palliativa nimirùm, & radicalis.

X I.

Laxatis adeò partibus, tumorem efformantibus, ut modò exeant, & modò introducantur. Ad palliativam, ope bracherii curam confugiendum. Quæ tamen in pueris, ſæpè ſæpiùs radicalis efficitur.

X I I.

Si maxima urgeant accidentia, quæque ſit ſtrangulationis & Herniæ ſpecies, partiumve ſtatus, tentatâ abſque ullo ſucceſſu taxi. Ad operationem recurrendum, & hæc eſt curatio radicalis.

XIII.

Incisa cute, apertoque ſacculo, dilatandus annulus, ut partes in ſtatum naturalem reducantur.

XIV.

Inciso autem ſacculo, ſi partes levitèr gangrænâ affectæ videantur & nulla adſint impedimenta, ad introductionem confugiendum.

XV.

Tegumentorum, & ſacci inciſione adhibitâ, ſi maximâ affectum videatur putredine inteſtinum, imo apertum reperiatur, ita ut in vulnere diffundi poſſint excrementa, tunc partes ut tutiùs, & faciliùs ſanentur, ad oram vulneris Relinquendæ.

XVI.

Institutis inciſionibus, & dilatationibus, inaperto tamen ſacculo; totam tumoris maſſam in locum naturalem introducendam, plures putarunt. Quod tamèn ſæpiſſimè periculoſum cenſemus.

XVII.

Peracta tandem operatione, partibuſque reductis, ritè deligetur vulnus. Si accidentia quædam pertimeſcenda ſint, artis auxilia adhibeantur, & a Turondarum uſu, ut periculoſiſſimo, ſedulò abſtineat Chirurgus.

Has poſitiones, Deo juvante, & præſide M. NICOLAO-RENATO JALLET, Artium Liberalium & Chirurgiæ Magiſtro, *tueri conabitur Franciscus-Michael Disdier, Gratianopolitanus, Artium Liberalium Magiſter.*

de grenoble

PARISIIS,

IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS.

Die vigeſimâ-quintâ Septembris à ſeſqui-ſecundâ ad ſeptimam. Anno Domini 1750.

PRO ACTU PUBLICO.

Typis Delaguette Regiæ Chirurg. Academiæ Typographi 1750.